



**Antonii Mvsae Brasavoli Medici Ferrariensis Examen  
omnium Trochiscorum Vnguentorum, Ceratorum,  
Emplastrorum, Cataplasmatumque, & Collyriorum**

**Brasavola, Antonio Musa**

**Venetiis, MDLI**

Vnguentum Expertum XXII

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70720](#)

B R A S. Eadem præcise non inuenitur quod sciuerim, tamen multa mellina describit Galenus in secundo de Compositione medicamentorum per genera, quæ ustam æruginem recipiunt, & quæ huius ægyptiaci unguenti colorem nacta sunt. nō enim mellina dicuntur, quia mel recipiat, sed à colore quem habent. præterea propè finem tertij libri de Compositione medicamentorum per genera medicamenta referuntur, quæ ægyptia vocantur, unum Andromachi, alterum Claudi Philoxeni chirurgi, & deniq; in eiusdem libri calce ægyptiacum aliud scriptum est, sed nihil habent cum hoc nostro commune. reperitur etiam aliud unguentum de melle apud nonnullos pharmacopolas. S E N. Quod nam est?

B R A S. Hoc quod sequitur à Rasi sumptum in septimo ad Almansorem, ubi de Carbunculis agit.

Recipe sarcocolla }  
Mellis } Singul. partes æquales.

Deinde sarcocolla puluerizata cum melle misceatur, et recondatur. S E. Ego potius arbitrarer uocandum esse unguentum de sarcocolla. B R A S. Quomodo lubet uocato, cum apud nos in usu non sit, nostrum uero ægyptiacum ex Galeno colligi posset in secundo de Compositione medicamentorum per genera, ubi de Viridibus agit emplastris, quamquam istud uiride non sit, nonnulli ipsius umbram accipiunt ex 3º Methodi medendi libro.

## S E N E X. XXII.

Vnguentum Expertum in examen uenit. B R A S A.  
Quomodo illud conficis. S E. Hoc modo.  
Recipe olei rosacei lib. I.

*f* Pulueris

## BRASAVOLI

Pulueris lithargyrii unc. VIII.

Aceti quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum secundum artem.

B R A S . Nonnulli appellant ipsum unguentum de li-  
thargyrio. Alij tamen sunt Ferrarie qui ita cōficiunt.

Recipe lithargyrii } Singulorum lib. I.

Olei rosati

Cerae unc. IIII.

Aceti unc. VI.

Misce, & fiat unguentum secundum artem. Alij uero  
ita parant.

Recipe lithargyrii argenti unc. VI.

Olei rosacei unc. XVIII.

Aceti quantum sufficit.

Misce, & fiat unguentum. S E . Est ne addenda cerae  
cum aliqui illam addant, alijs non addant? B R A S . Si  
unguentū magis inhærere uolueris, ceram addito, si ho-  
negligas, absq; cera cōficiatur. S E . Ad quos ualeat hoc  
unguentum affectus. B R A S . Ad multos illo nōnūq;  
in puerorum scabie utor, id saltem efficit quod pruri-  
tum mitigat, potissimūq; illo utor cum intentio est pru-  
ritum mitigare, & scabiem penitus non abigere, ulceri-  
bus, superficialibus præsertim conuenit, & in quibus  
exiccatione indigemus, ac refrigeratione.

## SENEX. XXIII.

Vnguentum igitur Dialthæa uocatū accedit. B R A S .  
Ab althæa nomen sortitum est, optimum est ad emolliē-  
dum cataplasma. at compositionem quam seruas refer-  
to. S E . Enrefero.

Recipe